



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

35. An si testis dubitet, an adultus moribundus petierit Baptismum, sit adhuc baptizandus saltem sub conditione? Præterea, si post petitionem Baptismi, se jam nolle illum dicat adultus, dubitetur ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

RESOL. XXXIV.

An si unus testis etiam Paganus dicat moribundum postulasse Baptismum, iste sit baptizandus?  
Et ex doctrina predictae quaestionis deducitur idem dicendum esse in dicto casu de postulante Eucharistiam, & confessionem. Ex part. 5. tractat. 3. Resolut. 21.

§. 1. **R**espondeo affirmativè cum Joanne Sancio in *selectis disp. 54. n. 39.* ubi sic ait: Baptizandus est adultus, etiam si unius testis assertione Baptismum postulasse constet, quod docet Zambran. de *Baptismo. c. 1.* quamvis etiam sit infidelis testis ille eo modo, quo diximus *disp. 34. n. 8.* ministrandum fore Eucharistiam publico peccatori in extremis degenti, licet signa Penitentiae solam coram unico teste praestiterit, & sicut asserimus adesse obligationem absolvendi illum, qui signa doloris ostendere non potest, unico tantum teste testimonium ferente eam manifestasse, est enim par ratio in utroque casu, imò major in baptizando, nam in baptismo actus suscipientis illum non sunt materia sacramenti, sicut in confessione. Unde æquius dubitari posset, an valeat impendi absolutio penitentis nulla signa doloris ostendenti, quantumvis testis asserat illa tradidisse, quam dubitari queat, an baptizari possit, qui baptismum de praesenti non petit, dum addit testis affirmans illud petivisse. Quapropter omnes Doctores affirmantes posse Penitentem absolvi, testificante alio signa doloris manifestasse, tenentur fateri posse adultum baptizari, teste affirmante baptismum ab illo postulatum fuisse. Confirmatur supradicta ex his, quae ego adduxi in 3. p. tractat. 3. resolut. 5. Reginaldus in *praxi tom. 1. lib. 8. cap. 3. n. 8.*

RESOL. XXXV.

An si testis dubitet, an adultus moribundus petierit Baptismum, sit adhuc baptizandus saltem sub conditione?

Praeterea, si post petitionem Baptismi, se jam nolle illum dicat adultus, dubitetur tamen à Medicis, an ex phrenetis laesione renuat baptizari, an in dicto casu saltem sub conditione sit baptizandus?

Item si dubitetur de veritate testis, an verum dicat, an non de postulato Baptismo, aut si audientes non recordentur satis, an testis asseruerit expostulatum esse Baptismum, vel non, nec compareat testis, an sub conditione erit ministrandus Baptismus?

Et discernitur, an ut adultus baptizetur, opus sit explicite credere in Trinitatis mysterium, & Incarnationis?

Et asseritur, quod si in dubio sit conjectura, ut moribundus petierit Baptismum, baptizandus est sub conditione.

Et quid, si dubitetur, sitne mortuus adultus, vel non, an baptizandus erit? Ex part. 5. tractat. 3. Resolut. 22.

§. 1. **R**espondeo affirmativè Joannes Sancius in *selectis disp. 44. num. 40.* ubi sic ait: Et si dubitetur, sitne mortuus adultus, vel non, baptizandus erit, ex cap. de quibus, de Baptismo. Et Tom. I.

hinc oritur instructio baptizandi sub conditione ex quocumque capite oriatur dubitatio, cum ratione dubij licite fiant, quae alias non fierent, ut notat gloss. *ibid.* Imò et si testis dubitet, petierit, necne adultus baptismum, sub conditione baptizandum fore judicamus, cum undequaque oriatur ambiguitas opposita conditione sit vincenda. Praeterea si post petitionem baptismi se jam nolle illum dicat adultus, dubitetur tamen, praesertim à Medicis ex phrenetis laesione, an renuat baptizari, sub conditione baptizandus est, ut docet Henriquez, *lib. 2. cap. 24. num. 4.* Item si dubitetur de veritate testis, an verum dicat, vel non de expostulato baptismum, sub conditione erit baptizandus, aut si audientes non recordentur satis, an testis asseruerit expostulatum esse, vel minus baptismum, nec compareat testis, à quo seiscitetur, sub conditione erit ministrandum.

2. Nec obstat si dicās adultum illum non valentem per se ipsum baptismum petere baptizari non deberi, quia ut baptizaretur opus erat explicite credere in Trinitatis mysterium, & Incarnationis, ut docet Sanch. in *summ. lib. 2. cap. 3. num. 24.* Villalobos *tom. 2. tr. 1. diffic. 4. n. 13.* eo quod in illa mysteria credere sit necessarium medium ad salutem. Non, inquam, obstat hoc, quia sunt aliqui non requirentes explicitam fidem illorum mysteriorum, ut medium necessarium, ut docet idem Villalobos *tom. 2. summ. tract. 1. diffic. 3. num. 7.* alios adducens. Tum quia esto necessaria esset explicita fides, non incumbit baptizanti in articulo mortis de illa rogare, quando infirmus respondere non potest, & praesumi debet explicite actum credendi in mysterium Trinitatis & Incarnationis habuisse adultum, cum avidè baptismum postulasset. Et cum opinio varietas versetur, an sufficiat implicita, vel explicita fides, sub conditione saltem baptizari debere non dubito, & constat manifestè in Christum implicite credere, qui ipsi incorporari per baptismum exoptat. Huc usque Sancius *loc. cit.* cui adde Henriquez *lib. 1. cap. 24. num. 4.* ubi asserit, quòd si in dubio sit conjectura, ut moribundus petierit Baptismum, baptizandus sit sub conditione.

Sup. hoc lege doctrinam Resol. seq. & ss. ejus annot.

RESOL. XXXVI.

An moribundus, qui postulavit Baptismum, si in amentiam, vel lethurgiam postea incidit, sit adhuc baptizandus, licet in furia resistat?

Et an possit legari, ut sic baptizari valeat? Ex p. 5. tract. 3. Resol. 23.

§. 1. **A**ffirmativè respondeo cum Zambrano de *Sacram. baptismi, dub. 8. c. 1. n. 2.* ubi sic ait: Furiosi, amentes & privati usu rationis si prius illum habuerunt, & significaverunt voluntatem baptismi, sunt baptizandi in periculo mortis, credendo eam voluntatem perseverasse, quando de contraria non constat: habetur *c. majores, de Baptismo, sine.* Sic ille: & post illum Sancius in *selectis disp. 44. n. 42.* Suar. in 3. p. tom. 3. *disp. 24. sect. 1. concl. 2.* Henriq. *lib. 2. c. 24. num. 4.* qui addit supradictum esse baptizandum, licet in furia resistat. Unde docet Sancius *n. 42.* posse legari, ut sic baptizari valeat. Vide etiam circa praesentem quaestionem Ludovicum Marat. *tom. 3. tr. de Sacram. Baptismi, disp. 6. sect. 4.*

Sup. cont. in hac Ref. in seq. Ref. §. 1. nte mediū verè, dicendum est, & pro parte, in Res. praeterita. §. 1. ad medium. verè. Praeterea & in to. 2. tr. 6. ex doctrina Ref. §. 1. §. 2. cursum ad medium.

RESOL.